

non movetur. Anima ergo id corpus movet, ipsa se ipsam movet, ut illud moveat. Ait Peripatus. Puer a pomo, bruta a gramine moventur. Ergo ab alio moventur. Sic et elementa, sic et eorum partes, sic et coelum, a bono ut sine proposito cuique, motionescient suas. Quis hanc ferat philosophiam, quæ contra leges suas, de genere uno causæ efficientis, in aliud causæ finalis genus, tam facile in re tanta transeat, et tam grande æquivocum committat? Perstent in eodem causæ genere, quid necessario sequatur, animadventent. Non movetur puer ad pomum; non brutum ad gramen, nisi eorum anima, in se desiderium, pomi, graminis prius excitet. Id nimium est evidens. Socrates enim, ad pomum non movetur, aut quis alius puero sapientior, aut gravior, quia anima eius, id pomi desiderium non excitavit. Anima ergo pueri, de se desiderium id, profert in se. Eo ipsa prius movetur. Et motu sui, corpus pueri secum movet. Motus hi omnes, ab efficiente eos anima sunt. Principium ergo horum motuum, non aliud quam anima est. Idem de elementorum, et de coeli motu, si movetur, erit dicendum, quatenus ipsa per se ipsa, uti corpora sunt, potestatem se se movendi nullam habent. De quibus suo loco amplius. Nunc tantum ostendendum, corpora omnia, non a se, sed ab alio moveri? Natura, vel Anima. Hanc autem principium esse corporalium motionum omnium. Quod ratio sensata ostendit. Corpora enim vel natura, vel vi moventur. Si natura, a natura, mota ab anima movetur. A qua anima, clarescit postea. Si vi moventur ab Anima itidem per corpus suum, corpus aliud unum plurave, vel impelluntur, vel trahuntur, vel vehuntur, vel proiiciuntur. Sive id per animata, sive per inanima fiat instrumenta, semper ab anima, motus eius principium pendet. Principium ergo motus corporei omnis, anima est procul dubio. Ab alio ergo corpora moventur omnia. Anima vero non ab alio, sed movetur a se ipsa. Se ipsam ergo movens prius, per se ipsam movet corpora. Natura vero, inter animam et corpora, media: motus principium est dicta. Si ab anima nascatur, et animæ sit aliquid, ut ostendetur, ab anima moveatur, et ipsa est necesse. Si vero corpora a Natura: Natura ab anima moventur, necesse quoque est, naturam corporibus esse priorem, et potentiom. Animam vero, ut natura et corporibus esse, et anteriorem, et potentiom. Supra naturam ergo est anima, natura est supra corpora. Et utraque est, suo gradu, corporibus et prior, et antiquior. Atque hinc sequitur necessario. Si cœli moventur, vela natura proxime, vel ab anima, natura mediante, eos moveri. Non autem ab intellectibus, aut intelligentiis. Est enim id etiam impossibile. Quia cœli corpora sunt trine dimensa, intellectus vero incorporei sunt omnino. Contrarii ergo sunt. Contraria autem inter se iungi nequeunt, nisi prius contemperentur. At quæ contemperatio in incorporeis, cum corporum sit propria. Ergo primus ille primi cœli motor, anima fuerit, et non intellectus. Et multo minus, est summus Deus. Quo superius nihil esse voluit Aristoteles. Et tamen sibi contradicens, quædam alia supra cœlum posuit, quæ vitam oprimam; et sufficientissimam agitarent, non in tempore, sed in ævo. Quid ergo, prima illa, primi cœli motrix anima, Primum illud quod quærimus et rerum summus apex erit? In hunc modum contemplemur.

Animæ cœlestes, quæ lumen, et calorem circumferendo, mundum hunc ornatum reddunt, ratione ne aliqua utuntur? An sine ratione agunt? Si sine ratione, nihil pulchrum in rebus erit, nihil ordinatum. At et in cœlis pulchritudo ingens, et in terris. Et illic circuitus lucis ordinatissimus. Et in elementis temporum vicissitudines suos habent, et certos terminos. Ergo ratione agunt. Contrariorum enim effectuum, contraria sunt causæ, et eorumdem eadem et similius similes. Si ratione illæ animæ agunt, rationem igitur habent. Et eam quidem non accidentariam quia non accedit, nec recedit; sed perennem. Ergo essentialiem. At omnis ratio ab intellectu est. Intellectum ergo hæc animæ habent. Si hoc, vel a se ipsis, et essentialiem habent, vel ab alia mente participatum. Si essentialiem dicamus, necesse fuerit, talem, omnem animam esse. At sunt quædam animæ a mentes, aliae irrationales. Ergo Mens in animabus, non est essentialis, sed participatione. Si hoc, ergo a superiore Mente alia, quæ suo esse, et essentialiter sit, Mens, et intellectus. Duplex ergo est intellectus, in anima participatus. Alius per se, ipsa met per se Mens, sive intellectus. Hæc enim duo nomina, rem unam nobis